











No 1836.
M. Fuchser fecit


BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Hoffmanno, meo Patrono charissimo
Anno 1577. 1 Apr.

CARMEN DE HORRIBILI INCENDIO ET CONFLAGRATIONE BOGONIÆ CIVITATIS INSVLÆ FIONENSIS, QVÆ IGNE perijt 14. die Octobris anno Domini 1575. Scriptum à

Christiano Iohan. Schambio Fionensi.



Christus apud Luc. 21.

Erunt signa in Sole & Luna & stellis, & in terris anxietas gentium per desperationem, &c.

Vlysseæ Michael Cröner excudebat.
M. D. LXXVI.

PRVDENTIA ET HVMANITATE ORNATISSIMIS VIRIS CONSVLIBVS ET TOTI ORDINI SENATORIO INCLYTÆ REIPVB. OTHONIENSIS, AMICIS ET DOMINIS SVIS OBSERVANTISSIMIS

S. D.

C. Astalis vnda licet non nostra rigauerit ora,
Nec fluat in numeros copia larga meos.
S. ed tamen hortantur patriæ me mœsta ruinæ
Flebilibus numeris fata notare meis.
M. aius opus moueo quam par est viribus istis,
At pius est patriæ fata dolere dolor.
H. æc precor eximijs virtutibus aucte Senatus
Carmina syncera mente fouere velis.
C. ulta licet non sint splendore & diuite vena
Florida Vergilij qua monumenta nitent.
M. unera Palladiæ, rigidis sed versibus, artis
Accipite Excelsi cum grauitate viri.
N. ec tamen ipse meas, sint qualescunq; camœnas
Sperabo Dominis displicuisse meis.
M. aiorem potius studet emeruisse fauorem
Lugendo mœstum mœsta Minerua statum.

C. antat enim tristem casum, miseramq; ruinam
Quam tulit innumero patria chara malo.
I. n cineres terræ iacet vrbs (proch) inclyta nostræ
BOGGONIA irriguo quæ fuit aucta solo.
O. dolor, ò miseræ tristißima fata ruinæ,
Non lachrymis vnquam sat miseranda meis.
B. arbarus est, durasq; gerit sub pectore cautes,
Qui poterit lachrymas hîc tenuisse suas.
M. e natale solum, magna dulcedine cunctos
Quod trahit, immemorem noluit esse sui.
H. uic igitur nostro puerili ignoscite scripto
Ornati magna dexteritate viri,
I. gnotumq; precor placidè dignemini amicum
Complecti, & studijs quæso fauete meis.
I. nsuper ex animo patriæ te clare Senatus
Commendo summo qui regit astra Deo.
C. œlestiq; sacer mittatur spiritus arce,
Qui vestras fausta sorte secundet opes,
B. landaq; felicis concedat tempora pacis,
Et semper vobis omnibus adsit, Amen.

Vestræ humanitati

reuerenter subiectus

Christianus Ioan. Schambius.

CARMEN
DE HORRIBILI INCENDIO ET CONFLAGRATIONE BOGONIÆ CIVITATIS
Insulæ FIONENSIS, Quæ igne perijt 14. die Octobris anno Domini 1575.

EXcidium cano BOGGONIÆ miserabile terræ
Quam ferus immißis Vulcanus ab ignibus vstam
In cineres penitus vertit. Quis talia fando
Temperet à lachrymis? Ego vel quæ exordia ſumam
Prima, quibus verbis tantos æquabo dolores?
Et quibus hæc patriæ lugubria fata querelis
Expediam? Non hæc poſſet, licet ore diſertus
Tullius effari, neq; Naſo carmine felix.
Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraq; centum,
Ferrea vox, triſtem poßim ſat promere luctum.
Te tamen ô diuûm genitor precor atq; hominum rex,
Nam nihil eſt aliud quod iam implorare queamus,
Adſis ô, propiusq; iuues, nunc eia age flatus
Sparge tui radios, ſine quo nihil inchoat altum
Mens mea, principium & finis mihi carminis eſto
Nate Dei, patris eloquium, & ſapientia ſumma,
Te comite aggrediar ſuſcepti ſcripta laboris,

Te duce salua suos tangent mea carbasa portus.
In quamcunq; soli vertuntur lumina partem
Qua radiat Titan oriens, mediusue, cadensue,
Atq; aciem quocunq; oculorum flectimus, illic
Omnia plena malis, & plena doloribus astant.
Æthereus conuexa polus quot sydera pascit,
Quot folia arboribus, quot piscibus vnda natatur:
Tot premitur genus aduersis mortale periclis,
Et fatis, quæ si numeris comprendere coner,
Mallem, nauigijs violentus vbi ingruit Eurus,
Dicere quam multi veniant ad littora fluctus.
Cernis enim vt iaceant pietas, probitasq; fidesq;,
Vtq; suis dolus & fraus impia germinet agris,
Quæ Deus aspiciens, nisi iustæ parceret iræ
Pro patria bonitate sua, nos funditus omnes
Perderet, vt quondam mundum, quem perdidit vndis,
Tot modò per terras paßim mala multa vagantur,
Contemptus superum, scelerumq; libido creatrix,
Qualem nulla ætas vnquam nec secla tulerunt.
At Deus huc oculis, quibus aspicit omnia iustis
Prospicit in terras hominum super improba facta,
Æqua & iniqua æquis hinc lancibus omnia pendit.
Ipse famem, exurit miseros quæ febribus artus,
Lethiferisq; nouos spirantes ignibus Austros
Immittit: sæuis viciantur odoribus auræ,
Inde graues morbi iam cuncta per oppida regnant,

Et trahit in cineres Mors optima lumina mundi.
Non ſecus ima grauis balantum ac peſtis in oſſa
Cum ruit, atq; artus depaſcitur arida febris,
Interiere viri varijs hoc tempore morbis
Præſtantes meritis digni melioribus annis.
Quam magnis pietate viris Eccleſia Chriſti
Vndiq; priuatur? celeri quam morte miniſtri
Doctrina celebres primis rapiuntur in annis?
O Mors, ingenio quæ non annisue moueris?
Interea minus ingenio (pars magna) ſagaces
Longa ſuæ ſuperant vitæ modò tempora, ſed flos
Candidus aufertur, neq; fex perit atra malorum.
Et velut in viridi pulcherrima lilia prato
Inter odoriferos quæ præſtantiſsima flores
Marceſcunt prius ac Lolium, tribuliq; per agros:
Sic magnos, ô Fata Deûm contraria noſtris
Eſt vbi nacta viros Reſpublica fœdere certo,
Qui gerere imperia, & gentes frenare ſuperbas
Iuſtitia poſſent, & magnas legibus vrbes,
Intempeſtiuæ rapit inclementia Mortis,
Sed ſæui remanent immania monſtra Tyranni,
Alta ſtruunt qui congeſtos ad ſidera montes
(Infandum) tentantq; Deum detrudere regnis.
Cernimus heu verſa ſic ſic vice currere fata
Taliter ingratum ſors hæc premit aſpera mundum
Sed, præſaga mali niſi erit mens falſa, timendum eſt,

Ne

Ne Deus in nostris prorsus regionibus ira
Concitus, extinguet diuini munia verbi,
Atq; animos sæua rursus caligine nostros
Obscuret, mentemq; ferat, cæcasq; tenebras
Injciat, cum fata viros tot funere mergunt,
Qui sunt instructi diuina Palladis arte,
Vt populum vera de relligione docere,
Et Christi poßint altaria sancta tueri,
Proh dolor his iterum rectæ nil mentis habentes
Succedunt alij doctis nihil artibus aucti,
Ignari rerum, & callentes furta Sophistæ,
Qui nolunt, nequeuntq; Dei defendere ouile,
Sed potius turbant, & turpiter omnia vastant
More lupi, quem dira fames pecus vrget in omne.
Quid? Phlegetonteus meditatur ouilibus hostis
Interitus, vbicunq; potest sua retia tendit.
Rure suos laqueos auceps vt callidus abdit
Dulce suum qui cogit aues in rete canendo:
Sic Satanas rector tenebrarum vt callidus auceps
Doctores, qui Christicolæ blandißima genti
Verba dare assueti, stygijs diffundit ab vmbris,
Hi cauponantes verbum, nec rite secantes
Vana vehunt secum turpis commenta Papatus,
Offunduntq; animis nebulas, ne cernere vera
Poßint, saluificiq; sequi vestigia Christi.
Sic ruere in peius, sublapsa retroq; referri
Omnia

Omnia nunc, fatoq; vrgenti incumbere mente
Cernimus, & pulla charites incedere palla.
Spreta iacet pietas, floret petulantia mundi,
Seditione, minis, totus fremit vndiq; mundus,
Nil secum nisi bella vehunt nunc Vesper & ortus:
Atq; vbi bella sonant tua laus silet optime Christe.
Deniq; nil pudor, aut probitas, verumq; fidesq; est,
Inq; horum subiere locum fraudesq; doliq;,
Insidiæq;, & vis & amor sceleratus habendi.
Spreta iacet pietas, floret petulantia mundi:
Stultitiam patiuntur opes, sua cuiq; voluptas
Fit Deus, atq; viam factis violentia quærit.
Ardua maiestas Regum & quibus oppida parent
Amplius haud mitem gestant in pectore mentem,
Auxilio releuare bonos & plectere sontes
Illis cura foret, sed dira fit inde tyrannis.
Quiq; vrbes paßim certis moderantur habenis,
Ad sese rapiunt bona, quæ conuertier vsus
In populi fas est, quin & sacræ addita sedi
Munera, thesauros adimunt altaribus (eheu
Res infanda) sacramq; ædem sine honore relinquunt:
Nemo est, qui foueat iuuenes Helicona colentes:
Heu quas Mœcenas, quas nunc Maro ceßit ad oras?
Cùm Mœcenates, largo qui munere præstent
Auxilium studijs, non sint, abiere Marones.
Spreta iacet pietas, floret petulantia mundi:

Et scissa vadit mœrens Ecclesia palla:
Omne patrare scelus laus est nunc maxima vulgo
Vertitur hoc vitio affectus compescere cordis.
Et quis adhuc dubitet propè tempus adesse supremum
Quo rediet varia residens super Iride Iudex
Æterno genitore satus, tum queꝗ manebunt
Præmia pro factis, seu recta aut improba gesßit.
Non sat in æthereis signorum vidimus astris
Vatidico quondam quæ Christus ab ore profudit?
Obscura quoties volui caligine Phœbum
Vidimus? heu quoties tristem sub nocte silenti
Cernimus inuersæ Lunæ per inane colorem,
Et varios nasci rubicundo crine Cometas?
Qualem temporibus vidit Germania nostris
Lumina Saxonicas lugubria vertere ad vrbes
Horribilem emittens caudam, dum signa peregit
Sol duodena, dehinc vbi circumuoluerat orbem
Quadrijugis, Phœbus totum capit ille priorem
Sedem, supremis quibus ante stetisset in astris.
Hei quam sæpe graui stridens Aquilone procella
Obruit Auster aqua inuoluens nauemꝗ virosꝗ
Cæruleis animam miseriꝗ dedere sub vndis?
Plura quidem Pelago paßi & vos estis in alto
O patriæ ciues, ego quàm comprendere possum.
Iam grauis anxietas animos premit atꝗ molestat,
Mordaciꝗ hominum conscindit corda dolore.

O in-

O infesta dies, ô tristia tempora mundi,
Estq́ oblita suæ sortis pars quælibet anni,
Nec tales dant fata dies velut ante dederunt.
Ergo diem credat quis iam procul esse supremum?
Signa docent, & iam fortuna miserrima rerum est.
Sed Simois fluat antè retrò, Et sine frondibus IDE
Stabit, Et in summis nascentur montibus Algæ,
Inq́ fretis frondes, quam consequar omnia dictis.
Nonne vides, quas sæua ferant incendia clades?
Vulcanus quibus in cineres tot clara domorum
Limina conuertit signis extructa superbis?
Terra ferax multis est nota FIONIA regnis
Oceanus longis quam canus fluctibus ambit,
In qua ad ventosi spumantia littora ponti
Lux vbi præcipitat Phœbi redeunte quadrigas
Vespere, in Hesperei madidos sita gurgitis amnes
BOGGONIA, vrbs quamuis tenui munimine, magna
Nomine erat, fuit illa bonis cœlestibus aucta.
Pura Euangelij doctrina sonabat in illa,
Quam manifestauit cœlo demissus ab alto
Humano generi, Logos, effigiesq́ parentis.
Cœlestes pax alma crocos in odoribus illis
Spirans, Iustitiæ processit & obuia sæpè
In plateis, geminæq́ sororibus oscula vultu
Dulcia libarunt geminis. Discordia nulla
A proauis, aut seditio, nulliq́ tumultus

 Auditi

Auditi, sed erat concordia ciuibus vna.
Vrbis & hæc aliquod celebris nomenq; decusq;
Geßit, cum magnos cumulauerat æris aceruos
Claudiadum semen, cuius generosa propago
Omnibus hîc exuta bonis, mæstoq; dolore
Cogitur hæc charæ patriæ mala damna videre.
Vertit ad hæc varias peregrinus littora puppes,
Portat opes quibus externas per flumina Nauta,
Et varij generis bona, quæ vix dicere possum,
Quam varij generis tulerint ea flumina pisces
Quos aciquisiuit minimo sibi quilibet ære.
Insuper optatas fruges fœcunda ferebat
Tellus, diues agris, & fertilis vbere glebæ,
Irriguiq; horti conserti suauibus herbis
Arboribus saltus numerosis floribus agri,
Præcipuè huic vrbi clara ornamenta fuerunt;
Finitimæ hinc vrbes alimonia multa tulerunt.
Haud aliter quam nunc Bardwiga salubribus herbis
Luneburga tibi prodest, & pabula præbet:
Sic eadem vrbs multis alimenta salubria terris
Et patriæ dedit. Irriguis Deus imbribus agros
Fœcundauit ibi tenui cum murmure labens,
Quos circum puris etiam nitidißimus vndis
Ibat, & attritas riuus versabat arenas.
Quem super eximios præstanti corpore tauros
Lanigerumq; pecus dites egere coloni.

Hic

Hic etiam schola clara fuit, generosa iuuentus
Prima rudimenta à teneris in qua imbibit annis,
Per quæ seruatur crescitq́ Ecclesia Christi.
At nunc vnde suos ortus incendia promant
(Quanquam animus meminisse horret luctuq́ refugit)
Expediam: Qui lino & qui curuantibus hamis
Decipere & calamo salientes ducere pisces,
Humida iam steriles ad littora fluminis Algas
Colligere, & Solis radijs siccare solebant.
Dehinc bene siccatas crepitantibus vrere flammis.
Interea fera tempestas per inane coorta
Infremuit, Zephyrusq́, Notusq́, & lætus Eois
Eurus equis, tumidusq́ Auster stridentibus alis
Aduersa inter se tollebant prælia fronte
Et fremitu terras cœlum & nemora auia complent
Et rapidis tenues augent afflatibus ignes.
Ipsius ingressu, primisq́ in faucibus vrbis
Forte fuere casæ, quibus altum stramina tectum
Et vimen paries, magno Vulcanus ad illas
Murmure se furibundus agit, Notus adiuuat illum
Materiamq́ suo præbent tecta arida damno,
Sæuit & vrbis ouans in mœnia flamma, nec illam
Seu vis seu ferrum laxis cohiberet habenis,
Nec modus est, auidæ sorpserunt mœnia flammæ,
Nulla mora vrbs visa ardentes considere in ignes,
Fumus it ad totum, visu lachrymabile, cœlum,

Et tædis crepitantibus integer æther anhelat.
Temperet à lachrymis quis quæso talia fando?
Sit rupes, sit dura silex, sit durius illi
Cor Adamante nouo, qui non hac clade mouetur.
Haud secus, vt rapidus montano flumine torrens
Oppositas vincens spumanti gurgite moles,
Sternit agros, sternit sata læta, boumq; labores,
Præcipitesq; trahit syluas, camposq; patentes
Contegit: Haud aliter facies truculenta furentis
Mulciberis totam rutilis tegit ignibus vrbem.
Diuerso interea miscentur mœnia luctu,
At ciues trepidi Vulcani horrore pauentes,
Exanimesq; metu, nec quo vestigia vertant
Certi, cæruleas immittunt ignibus vndas,
Sed nulla vnda potest sæuas extinguere tædas,
Nam magis atq; magis crescunt, virtute resisti
Difficile est, tollit truculentia feruida vires.
Temporis illius, quis cladem incendiaq; ista
Explicet? aut poßit lachrymis æquare dolores?
At misera vrbs gemitu miserisq; tumultibus intus
Miscetur, pœnitusq; nouis plangoribus æthèr,
Tollitur in cœlum clamor, sonituq; profusa
Echo crebra fremit, ferit aurea sydera planctus,
Tum pauidæ matres humerum per vtrunq; capillis
Paßis per plateas paßim lugubriter errant,
Amplexosq; tenent natos atq; oscula figunt,
Et

Et geminis miserè tundentes pectora pugnis
Dant quæstus, Enoëq; sonant, tristiq; vlulatu
Astra replent, reboat plangoribus arduus æther.
Atq; vbi nulla domus neq; spes erat vlla salutis,
Diffugiunt quo quisq; potest, matresq; viriq;
Effusi, nimbo similes, vestigia latis
Agminibus iuuenes, pueri, innuptæq; puellæ
Tollunt è portis sese, & post terga relinquunt
Ignibus ardentes ædes, fugiuntq; penates
Quisq; suos, sua cuiq; domus funesta videtur,
Pars huc pars illuc passim regionibus errant
Ignotis, cuiusq; habitantq; vbi sanguine iuncti
Huc profugi fugiunt dum singula corripit ignis.
Tecta augusta Dijs sacrata in mœnibus vrbis
Hæc non ignis edax auidis superare fauillis
Fas habuit, flammis & Curia salua remansit
Iusticiæ domus. In medio rerum sic turbine seruat
Res in honore sibi erectas Deus omnibus æquus,
Et sibi fidentes media sub clade tuetur.
At quia nemo potest infectum reddere factum,
Ne vos ô ciues nimio macerate dolore,
Sit modus in luctu, nec spem deponite prorsus,
Vos cœlo meliora manent, vbi mixta dolori
Esse potest sors nulla, & erunt vbi gaudia summæ
Lætitiæ, Choreæq; suos Iesseius Orpheus
Cum tendet numeros septem in discrimina vocum,

In medioq́ mouens Deus omnia in omnibus vnus,
Ergo agite afflicto demittite corde dolorem,
Quodq́ æui reliquum est, freti spe, ducite tempus.

Huc precor ò homines oculos conuertite vestros,
Et quæ concutiunt funesta pericula mundum
Aspicite, & tristem patriæ spectate ruinam
In cinerem, nullis restantibus inde fauillis
Vrbs iacet in multis celebris BOGGONIA terris,
Cui fuit insignis multarum copia rerum.

Hoc Deus exemplum miserabile tradidit orbi
Disceret, vt toto Dominum de corde timere,
Et fugere offensi patris pœnamq́ grauemq́
Iram, qua assueuit grauiter punire nocentes,
Namq́ iræ res nulla potest obstare Deorum
Forsitan has signis quis ad æthera struxit amœnis,
Sodoma clara fuit, magnæ viguêre Gomorræ,
Seboim Segorq́ fuerunt lumina mundi,
Vile solum Sodoma est, altæ cecidere Gomorræ,
Nil ex Seboim & Segor nisi nomina restant.
Si DEVS his pœnis tantas afflixerit vrbes,
De quibus haud vllæ stirpis monumenta supersunt,
Crimine nos simili infectos quæ pœna manebit?
Nobiscum, in melius vitam nisi vertimus, actum est.
Hoc ergo exemplo moniti resipiscite cuncti
O populi, magnæ colitis qui climata terræ,

Plurima

Plurima damnosæ deponite crimina vitæ,
Et tractate piè diuinæ congrua legi,
Discite iusticiamq́ Dei, nec temnite Christum,
Qui nostri causa, cœlo delapsus ab alto,
Prodijt in mundum, vt vitam veramq́ salutem
Donaret cunctis miseris credentibus in se.
Ach quid tota iaces somno mea patria victa,
Discute damnosos, ô patria, discute somnos,
Non te iam præsens vrbis mouet horrida clades?
Nec memori pœnas venturas mente reuoluis?
Quid secura manes? Vah quæ te pœna manebit?
Tristior expectat te finis, pœnaq́ maior,
Criminib[illegible] obruta mente reuolue
[illegible] dusq́:
Omnis abe[illegible] pietas, tim[illegible]erentia cuncta,
Relligio silet, & non [illegible] modestia restat,
Impietas floret, fraus germinat, omnis honestas
Inuenit finem, nec legum est vlla potestas,
Fastus iners stimulis, & vana superbia mentes
Exagitat, cæcosq́ animos spe ludit inani,
Ebrietasq́ decus, laudemq́ libido meretur,
Est insana frequens, & habendi summa cupido,
Auri magna fames, cunctiq́ obliuio recti,
Restant furta, minæ, cædes, mendacia, rixæ,
Fraus, odiumq́ doli, feritasq́, sitisq́ cruoris
Inuenere locum. Quid adhuc dubitamus inepti

Accelerare graues longo velut agmine pœnas?
Scilicet horrendas clades, miserasq; ruinas,
Pallentes morbos, pestes, incendia, cædes,
Tristia bella, necem, stygijs armata venenis
Pallida Tysiphone nostras diffundet in oras.
At tu Nate Dei, summi flammantia cœli
Templa colens, qui cuncta creas, qui cuncta gubernas,
Non peccatorum læteris morte, voluntas
Sed tua, ne stygias vllus descendat ad vndas,
Verum habeat vitam æternam veramq; salutem.
Tu faciles aduerte meis ploratibus aures,
Et populum defende tuum, Phlegetontis auarus
Qui colit hostis aquas, nun...
Declinat, seræ m...
Impastus ceu plena ...
Illi quod ieiuna fames, ...s
Rugitu: sæuis ita nos circ...onat armis
Ieiunus Satanas, vt nos in tartara ducat.
In nos consurgunt gentes, populiq; potentes
Terribilem mortem, pugnas & bella minantes,
Turca ferus miles mouet horrida prælia, verbum
Conatus delere tuum, sanctosq; Prophetas
Enecat, in terrisq; omnes tua sacra professos.
Quid? nisi tu nobis succurras Christe perimus:
Præcipuè cum tot morborum incendia passim
Totum concutiunt orbem, pestesq; famesq;,

Et

Et tot circumſtant clades, triſtesq́ ruinæ,
Sed fateor delicta hominum mala plura mereri,
Nos tamen ô mitis Pater, atq́ æterna poteſtas,
Tu procul à noſtris age dira pericula tectis
Pro bonitate tua, neq́ iuſtas expete pœnas
Te petimus, culpæ veniamq́ expoſcimus omnes,
Et magna ter voce die ter nocte precamur,
Hoc ſimul eximium læta omni tempore regnum
Pace bea, intereant nec noſtræ ita turpiter vrbes,
Tu populum defende tuum tua ſacra colentem
Inter tot Satanæ fraudes, plebisq́ furores,
Excubiasq́ age proq́ anima & pro corpore noſtro,
[illegible] inficiat Satanas technisq́ dolisq́,
Ne pia Relig[illegible]am,
Aurea tranquillæ da[illegible]pacis,
Tuq́ dato nobis æter[illegible]gaudia vitæ.